

**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Cap. I. Præjudicium Generale in gratiam Secundi Ordinis in Diœcesanâ  
Synodo Autoritatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

plar, illudque legi. Extant adhuc Canones, qui, quamvis convocari Synodum prospiciant, finemque, ob quem habenda est, exponant; de solis tamen documentis, convocatis ab Episcopo dandis, loquuntur hi omnes Canones, & his similes continent testimonia *negativa* contra Secundi Ordinis in Dioecesana Synodo autoritatem, & de solo fine, propter quem habita fuit Synodus, agunt.

Hæc omnia testimonia nihil contra autoritatem de qua agitur concludunt, & sunt, ut ita dicam, imperfecta, cum mentionem duntaxat, faciant de una parte rerum quæ sunt, aut in eâ fieri debent.

Quantum vero ad *Positiva* testimonia, duplices sunt generis. Alia clarè innuant talem & talem exercuisse potestatem, in Dioecesana Synodo, Secundum Ordinem. Iстius generis, inter alia, ea sunt, quæ pronuntiant, Statuta Secundi Ordinis consensu, aut de consilio facta fuisse. Alia duntaxat insinuant, Secundum Ordinem partipem fuisse eorum, quæ à Synodo facta sunt. Taliа sunt ea; quæ ostendunt Synodos Dioecesanas habitas fuisse veluti Concilia; sive illis tribuendo Concili nomen, aut præcipuum Conciliorum prærogativam, nempe Spiritus Sancti opem; sive statuendo eas bis per annum celebrandas fore secundum Canonem, qui id de Conciliis Provincialibus definierant; sive statuendo unumquemque per Procuratorem adesse teneri, quando ipse adesse non poterat; sive penas infligendo iis, qui adesse negligerent; sive mentionem faciendo de Appellationibus, quæ ad ipsam Synodum deferrentur, sive nos certos faciendo in eâ reos judicari, omnesque delatas controversias dirimi; sive prohibendo, ne quis ante finem Synodorum, sine licentia discederet; sive insinuando à Synodis Statuta fieri; denique, sive præcipiendo, Synodum per plures dies duraturam, vel fidem faciendo, quædam Synodos per plures dies continuatas fuisse. Inter secundi hujus generis positiva testimonia, nonnulla sunt, de quibus forsitan aliqua ponni posset difficultas; scilicet, an de Synodo Dioecesana, an de Concilio Provinciali, agant hæc testimonia.

Quod modo dictum est, hoc in Monito, est velut ordo, quem sequi statuimus in iis, quæ dicturi sumus, de Secundi Ordinis autoritate in Dioecesana Synodo agentes. A præjudicio ordiemur, de quo sermo habitus fuit, utpote maximè apto ad ea, quæ hanc materiam spectant, in certum ordinem dirigenda.

#### DE SECUNDI ORDINIS IN DIOCESANA SYNODO AUTHORITATE, Dissertatio.

##### CAPUT PRIMUM.

##### PRÆJUDICIUM GENERALE in gratiam SECUNDI ORDINIS in Dioecesana Synodo AUTHORITATIS.

Multa sunt facta indubitate ex quibus Generale præjudicium deduci potest, in gratiam authoritatis Secundi Ordinis in Dioecesana Synodo.

Primum repetitur ex eo, quod, in omnibus Conventibus, in quibus tractari solent ea, quæ congregatos Homines spectant, ut abusu emendatio, vitorum correctio, qua Corpori dedecus afferunt, Statuta necessaria huic fini dirimendæ Controversiae ad Synodum delatae, fieri solent, & hi homines aliquo modo sunt participes eorum, quæ sunt in iis, quæ has res spectant: quod potest reduci vel ad vocem *Decretoriam*, vel ad vocem *Consultativam*. Hujus rei tot extant testimonia, quæ sunt ejusmodi Conventus, Tales sunt 1. Conciliorum Convocationes. 2. Capitulorum Regularium, sive Generalium, sive Provincialium, sive Conventionalium. 3. Capitulorum Sæcularium Canonorum, & aliarum Ecclesiasticarum Societatum. 4. Universitatum. 5. Facultatum Universitatum. Porro: Synodus Dioecesana est totius Cleri Dioecesani Congregatio, quæ semper habita est ad corrigendos mores, emendandos abusus, in quâ vulgo facta sunt Statuta, in quâ sapè de litibus Civilibus iudicatum est, vel Capitibus, in quâ demù frequenter actum est de rebus Communibus toti Clero Dioecesano, ut de Episcopis in Clerum Juribus, & vicissim De Cleri in Episcopum prærogativis honorificis, vel præminentibus.

Sic, vel hi qui Synodo Dioecesana interfuerunt, jure, & ut membra, aliqua voce aut Decretoria, aut Consultativa, gavisi erunt; aut dicendum est, eos pejoris fuisse conditionis, quam eos, qui tenentur interesse vel minimis Conventibus supra recentis.

Non minus constat Synodum Dioecesanum bis per annum habitam fuisse: elapsis seculis eandem Synodum tunc tribus vel quatuor Diebus continuari: Dioeceses tante fuisse longitudinis, ut ad eam convenire non possent Parochi sine longâ absentia, sive ratio haberetur dierum adventui & redditui necessariorum, sive dierum, per quos habebatur Synodus. Denique non minus liquet huic itineri maximas impensas necessarias fuisse, multumque nocere non solum longo itinere defatigatis Pastoribus, sed & Fidelibus, qui absentibus Parochis per multis dies absque Sacramentis è vivis discedere poterant.

His observatis, vix credi potest hocce tempore Synodum Dioecesananum unicè convocari propter res, quæ agi possent sine ulla autoritate, ex eorum parte, qui ad eam convocabantur; quod tamen evenisset, si in Synodo data duntaxat fuissent Concilia, date, vel generales vel speciales Monitiones, lecta Statuta jam facta; de Ministerio Sacro ratio reddita. Hæc enim, & alia similia, absque Synodo peragi potuissent, Litteris ab Episcopo ad Rectores missis, aut Epistolis uniuscujusque Episcopi, Parochis scriptis; & quando id agi debuisset modo minus congruo sine Synodo, quam in Synodo, utilitas, quæ ex Synodi celebratione percepit poterat, tanta non fuisset, ut ipsi cedere debuissent & defatigatio & impensa & mala, quæ ex Pastoris absentia Fidelibus evenire poterant.

##### CAPUT II.

##### ALIA GENERALIS probatio SECUNDI ORDINIS, in Dioecesana Synodo, autorita- tis, deducta ex plororumque Ecclesia Sacolorum praxi universa.

Mens hic non est invictè statuere, ferè semper, & ubique habitas fuisse Synodos Dioecesanas; sed indicare loca ea, quibus hujus facti probationes depromi possunt, & inde inferre, Secundum Ordinem in Dioecesana Synodo autoritate gaudere debere. Hæc autem probationes leguntur, in Conciliorum Canonibus, in Synodorum Statutis, & Authoritatibus aliundè desumptis; quæ omnia in decursu operis tractabuntur. Hæc autem testimonia evidenter astruent, Secundum Ordinem aliquam, in Dioecesana Sy-

nodo;